

D E D I C A T I O.

---

ret, vel alii, juxta formam docendi à se frequentatam, elaborandum committeret. Ac me quidem, fateor, absterruit aliquamdiu ab hoc opere, præsertim luci publicæ exponendo, non solum laboris ipsius ratio, qui, quamvis tyrocinia Theologiæ continere videatur; reverà tamen eò spectat, ut, quod aliàs Philosophus dixit, *Principium sit dimidium totius*: verum etiam, quòd ad seculi nostri mores atque aliena exempla attendens, intelligerem; vix aliquid ita solidum ac limatum edi posse, quod non in aliorum censuras incurrat, ac in materiam augendarum litium convertatur. Ne tamen deessem muneri meo, & accedenti commilitonum nostrorum desiderio, cœpi in Lectionibus publicis proponere Compendium Theologiæ positivæ, paucis quaternionibus comprehensum. Nunc tandem, post annos quasi decem, cùm intereà multis vicibus ad illius filum ducendi mihi essent sacri studii cultores, precibus illorum locum dedi, qui partim sterilem describendi laborem declinare volentes; partim errores calamorum, quos jam alii, qui descripserant, admisisse videbantur, multiplicari magis, quàm agnosci semper, judicantes, monuerunt, ut, quod semel usui Academicæ juventutis destinatum esset, mittendo in compendium la-